

34 Prax. Chymiatr. Sect. I.

onem deviantem, quæ astrum hominis
internum movet, ut impressione suâ
in veneni ejusmodi mineram agat. Plu-
res species amentium vid. in, *Paracels.*
de morb. amentium.

CAP. V.

De.

Caduco.

Caducem.

*Ejus spe-
cies.*

Sub nomine Caduci Galenici so-
lum intelligunt Epilepsiam, veram
secundum Paracellum est nomen
generale, & comprehendit suble vari-
as species, quod videre est. l. 3. §. c.
1. §. 2. *Nunc quæ agritudines ad ca-
duca genera pertinent sunt ista: E-
pilepsia omnes species, suffocatio ma-
trix extra locum: syncopa cum gene-
ribus suis (videlicet deliquium redi-
ens & non rediens Syncope) vertigi-
nes & id genus. ibid: paragr: 3. Sunt
& plures agritudines ex generibus
de Caduco sinelapsu; Sicut Tetanus
Spasmus, tortura oris (quæ statim con-
vel-*

vellunt & obstipant) universalis Apoplexia, contracta Paralysis, incurvatio per spinam dorsi, aut membri particularis, cum speciebus Synthenæ virorum & mulierum. Harum specierum una eademque est cura.

Dogmaticis aliis persuasum est, Caducum à crasso pituitoso glutinosoque suboriri humore ex Galen. 3. de loco aff. ubi dicit; Non ab ariditate evacuatione; sed à crasso semper humore hanc affectionem induci argumento est, quod & subito fit, & solvitur confestim & 4. de loc. aff: loquens de sopore, apoplexiâ & morbo comitiali inquit; Horum trium morborum frigidus, ac crassus viscidusque humor causa est. Sed an talis humor tam confestim generari & itâ cito resolvi possit meritò cum aliis dubito: Quippe si trium illorum morborum causa est humor frigidus, crassus & viscidus, ex sententiâ Galeni & ejus asseclorum, cur non æquè res solvitur apoplexia? cujus eandem dicunt causam, quam quidem precipiti insultu irruere; tardissimo vero gradu recedere novimus, Hippocrate exclamante aphor: 42. l. 2^o

Causa
caduci.

Rejicitur.

36 Prax. Chymiatr. Sect. I.

λύειν ἀποπληζίνην ἰαχυρήν μὲν ἀδύ-
νατον, ἀσθενέα δὲ ἐρηιδιον. Alii sub-
stantiis fumosis & spirituosis causam
Epilepsiz adscribunt, & hi propius ad
metam feriunt, sed non satis est, radi-
cem enim malignitatis unde pullulat,
silencio transeunt. Crassissima senten-
tia eorum est, quæ materiam crassam
terrenam, accusant. Duplicem itidem
Epilepsia duplex. Epilepsiam docent, perse & per con-
sensum; sed unus idemque est morbus,
ab uno eodemque semine & radice o-
riginem trahens, licet matrices & a-
Differen- gri differentiam faciant: Differt verò
riacadu- caducus unius membri ab altero, ra-
ci. tione loci, in quo fomes morbi latet,
& matricis conditionem æmulatur.

Causa ca- Hermetici Mercurium ad nequitiam
duci versum causam esse caduci asserunt;
Herm. Et quot species ¶ ii, tot species Ca-
Analepsia duci. Sic species ¶ ij sublimati est vera,
Epilepsia. species *Analepsia*. A Mercurio vitri-
olatis vaporibus, qui sunt maligni acres
& acidi, imprægnato & per temporis
intervalla cum spiritu vitæ, cui facile
commiscetur, sublimato, fit *Epilepsia*,
quæ pro ratione causæ, est gravior &
levior. Et quod etiam infantes magis
ad

ad Epilepsiam proni sint, causa non est, quod ipsorum cerebrum magis *pituitosum*, sed quod lac, quo aluntur in ventriculo eorum corrumpitur, *accrescit* & in *virus vitriolatum* morbi istius fomitem degenerat. *Spasmus* fit, cum *spiritus salini Mercurio permixti* in *Chao* restant, & ubi *Chaos* petit exitum ibi fit *spasmus* usque ad consummationem causæ & sic de cæteris. Locus verò causæ caduci non est in cerebro, licet paroxysmus à *nuchâ* descendat, sed est in *Chao* vid. Paracels. lib. 3. paragraphorum c. 2. pag. m. 457 & 458 *cujus* enim *semina astralia* & *spiritualia*, ejus etiam *loca occulta*, i. e. non corporeæ sedes, sed *elementa* sunt; *Chaos* est *aër* per totum corpus ut in exterioribus *diffusus*, in quo *elementa spiritu minerali imbuta*, singula *prospecie sua* dum *vitalia corporis membra procellunt* & *syderant*, *caducum efficiunt*, *cujus differentia ex paroxysmi cognoscuntur* *invasione & diversitate*. *Caducus ex astro aëris & terra mitissimum*, *ex astro aqua validiorem*, *igneus vehemētissimum patitur paroxysmum* & *diversam requirit curationem ex elemen-*

Spasmi

Chaos est locus cause.

Quid sit chaos.

Differentia caduci.

Quomodo fiat caducus.

to suo. Fit verò Caducus hoc modo; Mineræ morbi sive in ventriculo, epate, pancreate, utero aut aliâ corporis parte locatæ semen astrale & spirituale, ut fulmen in macrocosmo microcosmi elementa ferit, eisque spiritum mineralem imprimit, qui in positum penetrat, non ut materia crassa, sed veluti crocus aquam tingit aut tinctura absinthii omnia reddit amara; Paroxysmus in elemento aëris, non aliter est ac si venti in majori mundo concurrunt, in hoc elemento, quod *Chaos* Paracelso dicitur, cætera elementa morbifera ascendunt & descendent. *Paracels. loc. supra citato.* Insuper moneo hic, ne quis causas primas cum subordinatis, nec solitarias cum sociis confundat,

Differentia Apoplexia.

Supra ex *Paracelso* notavi, Apoplexiam & Paralyin ad caducum referri; Est vero Apoplexia & Paralysis duplex, *Caduci & Gutta*; *Apoplexia*, quæ cum spasmō transversè tuentibus oculis & stridore dentium, ut & *Paralysis*, quando instante caduco paroxysmus à cerebro descendit, illudque latus quod percutietur, spasmō vel tetano corripitur, sunt ex genere *caduci* & ad curam *caduci* pertinent. *Adrianus Spigelius 2. de*

de

de semitert. cap. 16. & Sennertus affectum observarunt, quem apoplexiam & epilepsiam ambigentem sive medium inter apoplexiam & epilepsiam vocarunt, verum fuit, apoplexia ex caduco, quam ter in praxi meâ novi & Deo benedicente curavi. Porro omnes ægri-
tudes, quæ signis epilepticis se ostendunt, in quocunque etiam sit morbo, primum ad curam caduci erit progrediendum, Paracels. lib. paragra-
phor. 3. cap. 1. p. m. 457.

Not.

Caducus horrendo insultu & sævi-
tiâ infamæ triplicem respicit curatio-
nem, unam præservativam, alteram,
in ipsâ accessione adhibendam, terti-
am, quæ ipsas radices morbi eradicat.

Curatio

quoti-

plex.

Præser-

tiva.

Cura præservans infantem ne epi-
lepticus efficiatur & Saçobar. a. b. fin.
reduc cum oleo amygdalarum dulcium
rec. expr. in formam electuarii de quo
infanti modo nato antequam lac sugat
ad quantitatem unius cochlearis exhibe-
atur & confestim blando quiescet som-
no, excitato deinde ejusdem medica-
menti dosim exhibendo repete, & sua-
viter per secessum purgabitur.

Et hoc Hartmannus in Chymiatria
commendat, addo ipsius verba; Recens

40 Prax. Chymiatri. Sect. I.

Iam natis antequam lac sugant vel cibum comedant; ingeratur oleum amygdalar. dulc. rec. cum saccharo fino permixtum utriusque sit à ℥℥ ad ℥ij. vel ℥iij. si enim ubi paulisper à sumto hoc abster si vo quieverint; ℞. Stircus de vaccâ nigrâ adhuc calidum, indatur olla nova & calcinetur, de quo exhibeatur ℥j. vel ℥℥. modò nato infanti, (Electoris Saxonie secretum) tandem evomunt pituitosam admodum copiam impuritarum in utero materno ante exitum collectarum, qua impuritates sunt causa multorum morborum in pueris nominatim epilepsia. Quod si non evomunt per alvum saltem purgantur, deinceps ubi balneantur aliquandiu & imprimis per tempus puerperii coque in balneo cortices salicis recentis. Sic nimirum non ab epilepsia tantum, sed etiam à tabe preservantur (specificum in aridurâ puerorum.) Cura interim maxima est habenda nutritis, ne talis sit, cujus lac tenue ad modum vel crassum, lividum vel

Cap. V. de caduco. 41

vel foetidum, acidumque sapiat, si etiam nutrix veneri indulgeat, pueris, ac si forte ex coitu concipiat, majorem infert perniciem.

Paroxysmum respicit, vehementiam que retundit, *sacculus castoreo repletus* & dentibus caduci interpositus; exhiberi itidem poterit *Laudan.* verum *Paracels.* à gr. j ad iiij vel iiij in liquore convenienti; Sic & *mixtura simplex*, *spiritus cerebri & cranii humani*, *aqua hyrundinum cum castoreo.* *Fel catelli*, maribus masculi, foeminae foemellae, primum patientibus paroxysmum exhibeatur & non amplius cadent. Excellentissimum est in caduco Epileptico & Hysterico *Laudanum* quod communico sequens

Paroxysmum respic.

Rx. *Cranii hominis violenta perempti morte* *ziss.* *Laudanum.*

Fecor. ranar. virid. exsicc. cat. num. XL.

Castorei

Succin.

Gagat. ana ziiij.

Rad. pæon. sole in librans ingressum faciente

cs col.

42 Prax. Chymiatr. Sect. I.

collect. ℥ij.

Sem. pæon.

visc. querc. ana ℥j.

flor. pæon.

tilia ana Mj.

Santal. rubr.

citr.

Croc. oriental.

Mumia vera ana ℥j.

Galang.

Cardamom. maj. &

min.

macis ana ℥iij.

Pulverisatis affunde spir. vin. & ex-
trahere l.a. tincturam, quam filtra &
in Balneo M. evapora ab consumptio-
nem dimidia partis menstrui, nunc
admisce

Sulphur. Virioli Narco-
tici ℥iij.

(Quem vid. cap. I.)

Digere vase clauso per 15. dies igne
lento, post abstrahere menstruum ad
mellaginem, ante ultimum verò eva-
porationis gradum ante quam spif-
fescant.

Sal.

Cap. V. de caduco. 43

Sal. corallor.

perlar. ana ℥j.

Cinnab. nativ. min.

Cinnab. Antimonii ana ℥ss.

in aq. cinnamomi solut. admisceantur
& longâ agitatione incorporentur.
Dosis à gran. vj. ad ℥ss.

Extra paroxysmum ad radices
tollendas, primum vomitoris & Ca-
tharticis eisque Mercurialibus ut
Mercurio vita, Aquila alba dulci, &c.
quo posteriori infantes satis blandè &
magno successu possunt purgari, cum
simile per simile curatur, ex sincerio-
ris Philosophiæ fundamentis, agendum
erit, post modum specificis per debi-
tum tempus continuandis: In vitriolo vi-
vidi morbus auxilium nanciscitur, cu-
jus præparaciones passim alibi videre
poteris. Salam in vitrioli tractat. Quer-
cetan. in tetrade. Hartmann. in præct.
Shröderum & alios. Quæque medica-
menta ex Vitriolo calcis luna prodeant ex-
perientia si manum carbonibus admo-
vebis, docebit. Præstantissima sunt Au-
rum potabile. Quod fit solidissimum
auri corpus per clavem philosophicam
seu univèrsale menstruum mercuria-
le re-

Extra
paroxys-
mum,
Purgan-
tia Mer-
curialia.

Aurum
potab.

44 Prax. Chymiatr. Sect. I.

le referando in Phiolam Hermeticè
clausà digerendo, post rinctum
menstruum facta cohobatione ab-
strahendo, & remanebit auri essen-
tia quovis liquore resolubilis. Dosis
à gr. j. ad summum iiij, potenter enim
operatur. Lunapotabilis. Rec. Mer-
curii microcosmi digere in phiolâ
Hermeticè clausà lento igne ut fiat
liquor limpidissimus, quem affunde
calci luna vel solum vel cum ana-
Spir. vini alcoholisati, in vase optimè
clauso & fiet liquor intimè ceruleus
cujus dosis à gr. iiij ad ℥. Oleum sanguinis
humani ejusdemque spiritus de quib.
vid. Schröder. in pharmac. cap. lib. v.
class. 1. de animalibus. Mercurius mi-
crocosmi cujus præparatio talis R. uri-
nam pueri sani, annorum 12 usque
ad 18. vinum bibentis, putrefac in
vitris benè clausis in fimo equino
aut radiis solaribus, usquedum benè
fæteat, postea in alembico primò len-
tissimo igne destilla & egredietur spi-
ritus volatilis, qui instar glaciei reci-
pienti inherebit, hunc seorsim in vi-
tro benè obturato serva, post auge
ignem

Luna
potab.

Ol. &
spir. sang.
hum.

Mercu-
rius mi-
crocosmi

ignem fortius & pblegma ad siccitatem ferè abstrahere, cumque spiritus instar nebula videas ascendere, recipientem appone purum, cui instillet, juncturis lutatis, pelle tunc fortissimo igne, usque nulli amplius spiritus ascendant, hos cum priori spiritu, quem servasti, conjunge & in phio-
la longioris colli affusa aliqua aqua fragrante, que odorem penetrabilem aliquo modo restinguat, lento igne sublima & Mercurius candidissimo colore instar chrystallorum ascendet, quem
serva, Dosis à gr. x. ad xvj. Quod si
cum hoc Mercurio calcem appropriati metalli sublimaveris, hoc tum demum præstat ea quæ ipsi alias adscribuntur. Mercurii verò hujus vis non diu durat, est enim admodum volatilis, quod observandum; in horum usu magnum latet, quod si non nescias, non solum caducum sed & alios fere desperatos morbos facilè curabis. Theophrastus Regi Ferdinando sequens communicavit secretum R. Calvariam hominis cõtusam per retortam ter cobo-
bando destilla, postea ex radicib. & foliis pæonia aqua destilletur ex fessibus

Nos.

Secre-
tum.

46 Prax. Chymiatri. Sect. I.

cibus sal extrahatur propriâ aqua,

℞ predicta aqua ℥vj.

Castorei rec.

spec. diamosch. dulc. ana ℥i.

mellis ℥ij.

anacard. ℥℞.

Misce & iterum per balneum de-
stillata, huic destillato adde

margarit. ppt. ℥j.

ol. vitriol. gr. v.

anisi gr. x.

hujus mixturæ epileptico cochl. j. in-
funde & ad novem dies continua ma-
ne semper jejuno stomacho & per tres
horas assumpto pharmaco à cibus absti-
nend o. Alibi Paracels. In centro cranij

Aliud.

humani hominis strangulati inveni-
tur os magnitudine cruciferi figurâ
triangulari (non quidem in omnibus
sed tantum in quibusdam cranij re-
peritur) hoc os pulverisatum & ad-
ministratum in aquâ appropriatâ (ti-
lia) tollit caducum, & si aeger eo mor-
bo laborâset ad viginti annos. Re-
peritur hoc officulum ad futuræ co-
ronalis & sagittalis commissuram &
immeritò Paracelsus à Thoma Erasto
mendacii arguitur. *Hepata ranarum*

viri.

Cap. V. de caduco. 47

viridium laudat Hartmannus in Chymi-
miatr. & Sennertus lib. 1. part. 2.
cap. 31. p. m. 607. Jubent colligi he-
pata ranarum *viridium* aquat. No. 40.
supra folia brassicæ capitatae, ad eam
partem, quâ terram respiciunt, ponere,
postea in ollâ vitreatâ in clibano ex-
siccare, exsiccata à foliis cautius sepa-
rare & in pulverem tenuissimum reda-
cta in quinque partes æquales divi-
dere; cujus pars una exhibeatur
patienti in aqua convenienti cum luna
ingressa sit in cancro, manè, vesperi
duabus horis à cœnâ altera & sic con-
sequenter.

Ego inter alia felicissimè usus fui præ-
missis præmittendis hoc pulvere, quo
tum infantes tum adultos, qui etiam per
plures annos à medicis derelicti hoc
morbo laboraverant, perfectè Deo ju-
vante restitui.

℞. *Cran. hominis* violen-
lentâ morte in ter-
emti, partem illam
inter commissuram
coronalis & sagitta-
lis futuræ, quæ in-
fantibus quando a-
do-

48 Prax. Chymiatr. Sect. I.

dolefcunt cranii
fpatium patens
claudit, præparat.
no. j. (præstat
cranium id quod
per aliquot annos
cælo fuit expofi-
tum)

sem. lycopod. ℥℞.

Sal. corall. rubr.

margarit.

smaragd. ppt.

Croc. orient. ana ℥j.

Cinnabar. Antimoni ℥i℞

Misc. & divid. in 9. part. aq.

& per novem dies fingulis mane jeju-
no ftomacho in aq. flor. tiliæ vel hy-
rundinum cum guttis aliquod *mixtur.*
simpl. part. j. utere adulto, pueris &
infantibus pro ratione ætatis dofis est
minuenda. Sed adhuc penes me arca-
num arcanaque alia methodus ad ca-
ducum, quibus quantas perfecerim cu-
ras, plures etiam invidi fatis norunt,
fed taceo rem non profanaturus, ut vi-
lefcatur

lescat, exinde quoque parum gratiæ ob-
tinendum scio, sincero verò animo à
me petentibus non denegabo. Distin-
guuntur etiam remedia caduci respectu
elementorum; Caducus igneus tollitur
per essentiam antimonii ut & arcanum
hyrundinis; *Aëreus* per essentiam cam-
phoræ, Theriacalin i. e. ros majalis
per balneum maris essentificat. *A-*
queus per Chrystallum & visc. quern.
denique *Terrens* per pœon. papav. &c.
in convulsionibus membra affecta,
præsertim nucha inungi potest, oleo
succin. salig. quern. euphorb. castor. rush.
Juniperi, laurin. petra. philosophor.
bals. Sulphuris, spir. form. phlegm. vi-
triosi.

Hartmannus in Chymiatt. amule-
tum ex frutice sambuci in salice inventi
commendat. Hunc in modum. i. di-
ligenter observetur, ubinam in salicibus
præsertim antiquis subnascatur sambu-
cus, id quod sæpè fit præsertim in sali-
cetis, ubi non procul ab iisdem ad hor-
torum sæpes sambucus plantata fuerit.
Hic nimirum grana matura ab avibus
leguntur, præsertim à pico. Picus ni-
mirum excrementa sua post coniecta
grana sambuci deponens super salicem.

D an.

Distin-
ctio re-
medio-
rum.

Externæ
remedia
in con-
vulsione.

Amule-
ta.

50 *Prax. Chymiatr. Sect. I.*

antiquam (cui interdum innasci solent
alia plantulae & frutices, nominatim
vero Amara dulcis, urtica, Chelidonia)
exinde quasi primordia figit & ponit
sambuci exinde nascentis. Picus autem,
quia Epilepsiam laborat, hoc nobile pe-
riapton ad similem morbum curandum
facit. Colligatur frutex quolibet men-
se, melius tamen Septembri & Octobri,
quando maturuerint grana sambuci, an-
te plenilunium diebus duobus & reser-
vetur usui (servari potest annos 12.) tene-
riores saltem surculi sufficiunt.

Uusus talis est: seca surculum unum
tenuiorem in taleolas tenues, quantum
fieri potest integras. Earum novem
redigantur in nodulum vel ex linteo, vel
ex serico confectum, & cum simplici filo
lineo, *Dasz in demselben Hause und von
dem Patienten gesponnen*, licet parum
referat, amuletum ad pensile collo us-
que ad orificium ventriculi, ut recte
nodulus eo pertingat. Applicata vero
hunc nodulum post universalia exhibi-
ta ad mundificandum corpus quolibet
tempore seu ante seu post paroxysmum.
Nodulus relinquatur tamdiu, donec
sponte sua citra omnem vehementiam
rumpatur filum & nodulus videatur ca-
dere;

tere, quem deinceps neq; in se patiens,
neq; ullum animal nudis manibus vel pe-
dibus tangat, sed mediāte aliquo instru-
mento vel forcipe, vel alio sepeliatur sub-
tus terram, eo in loco ubi neque homi-
nes neque animalia pertransire possint.
Secus si tetigerit, morbus Epilepticus de-
nuo invadet eum: vel alios antea mor-
bum non passos corrumpit, id quod
studiosē est evitandum. Hoc amuletū
curari possunt & ij, qui longissimo
tempore hoc morbo laborarunt.

A curatione deinceps diligentis-
simē præservandi sunt ab omnibus cau-
sis alioquin huic morbo infestis. No-
ta: in adultis soleo ex majoribus sur-
culis excavatis facere cannas, per quas
tempore gestationis amuleti omnem
suum potum hauriunt. Democrates
Atheniensis, cum adolescens esset &
caduco laboraret morbo, Delphos
profectus est, & oraculum consu-
luit de morbo suo, quod per Pythiam
respondit.

*De grege sume capræ majores viri-
ris alumne*

*Ex cerebro vermes & ovis datū
tergora circum*

D 2

Mul:

Multiplicè vermi pecoris de fronte revulso.

Sensus hic fuit, quod vermes ex cerebro capræ, quibus scateat, per sternutationem excussos, veste substratâ, ne terram attingant, colligere & aliquot eorum in pelliculâ ovis nigræ collo alligare iussus sit. Hoc naturaliter morbo adversari dicitur.

Diaz.

In diætâ æger maximè sibi caveat à carne caprinâ & mussularum, mussulæ sunt sciuri, agnina verò prodest. Paracels. lib. 3. paragraph. cap. 3. *Ab his cavendum est, ubi vitiosum sperma, ubi odor vitriolatus, ubi ventorum generatio, ubi libidinis provocatio, ubi acuitas essentificata.* Ego inter alia observavi poma in caduco esse nocentissima; E contrario verò viscus in malis est antidotum. Fugiantur ira, terror, aspectus solis, fluminum, flammæ, rerum in orbe rotarum, fumi ascendentis & rerum abominabilium. Et si quis dicto modo caducum tractabit, spe non falletur.

APPENDIX

De.

Vertigine.

Vertigo pertinet ad genus Caduci
ejusque curam; sed quoniam ma-
lum hoc frequentissimum pau-
ca de isto subnectere placuit, & quidem
de subiecto ejusque ratione formali ex
Willisio de animâ brutor. part. alt. pa-
tholog. cap. vij, de vertigine. Vertigi-
nis, inquit, subiectum immediatum
procul dubio sunt spiritus animales, quos
unus quisque hoc affectu laborans vali-
de perturbatos susque deque oberrare
persentit; subiectum verò mediatum
illæ cerebri partes sunt, in quibus ima-
ginatio & sensus communis resident,
& unde in genus nervosum proxima
via ducit. Hæ autem sunt corpora cal-
losa & striata.

Enimverò spiritus animales, intra
hæc loca inedullosa quasi in campum
amplissimum, aut viridarium amœnum
quaqua versus expandi & exspatiati a-

D 3 mant;

Vertigo.

Subje-
ctum
ejus.

§4 Prax. Chymiatr. Sect. I.

mant; quare sicut lucis radij, medullarum poros omnes & meatus densissimos, jubare pleno & irretorto trahunt: hinc dum unâ serie, è corporis medullofi oris extimis (nempe è corporibus striatis & cerebri gyris) versus medullium ejus blandè scaturiunt, imaginationes & phantasias, jucundas repræsentant; dumque aliâ serie, & forsân per alios meatus illi è corporis callofi medullio in cerebri gyros emanant notionum tesseras pro memoria illuc transferunt, atque dum exinde in corpora striata, & nervorum origines tendunt, partes omnes motrices actuant & iis, quoties occasio fuerit, motuum in eundorum instinctus deserunt.

*Ratio
formalis.*

In vertigine autem æquabiles istæ spirituum, velut radiorum lucis, emanationes, variis locis intercipi & diversi modè perverti videntur; quippe spirituum manipuli quidam obscurantur, alii alio inflectuntur, huc, illuc in gyros, & vortices aguntur & non raro in transversum rapiuntur. Quapropter in cerebro ob spiritus ita perturbatos, phantasmata confusa sensibilia

Cap. V. de Caduco. 55

bilium species vagæ & inconstantes aut circumactiones repræsentantur: deia quatenus irradiatio in nervosum genus minuitur, aut inhibetur, scotomiæ & functionis motivæ deliquia, ac vacillationes sequuntur. Hæc ille.

Causa est, quæ caduci generalis intrinseca. *Causa.* *Externa* variæ possunt esse causæ non naturales & fiendi modi vertiginis, à quibus vertigo, ut ut ex temporanea effici queat, quæ tamen fixa & stabilis non est, sed causâ remotâ, exhibitaque & aliquoties iterata leni catharsi, administratâque venæ sectione, paulò post cessare solet. Sunt ista, Diuturna corporis circumgyratio, despectus ab alto, pontium transitus, navigatio, ebrietas &c. de quibus proxiam ætiologiam vid. apud eundem loco citato.

Curatio. Insigniter juvant vomitoria, quoniam iis maxima à cerebro fit revulsio & spiritus in eo tumultuantes coërcentur. Insignis est pulvis ad vertiginem sequens specificus de die bis sumendus in decocto *salvia* vel *visci pœmor.*

Curatio.

D 4

Rc.

℞. Rad. pæon. sole in libræ
in grediente collect. ℥j.
Stercoris Pavon. albiss. ʒss.
Cinnabar. ℥ij. ʒss.
M. F. pulv.

Cæterum ea, quæ modò de caduco di-
cta sunt, quia vertigo ejus species est,
in hac conducunt.

CAP. VI.

De

Gutta.

Gutta
quid?
Synovia
quid.

Gutta est ablatio Synoviae à suâ
parte, ita cum Synovia (quæ est,
radix & ipsa essentia vitæ par-
tis suæ nutrimentum & conservatio re-
tentivæ & motivæ virtutis ex vitibus
virtutis digestivæ) à parte aliquâ sepa-
ratur, statim insensibilitas & privatio
motus sequitur, in synovia enim est vir-
tus sensitiva non in parte: Separatur
Synovia à sua parte per fulmen micro-
cosmi, per sulphur stupefactivum, quod
accenditur per Martem, Mars verò est
spiritus sulphuris, unde sibi non con-